



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SANCTI IACOBI EQUITUM*****SANCTI IACOBI EQUITUM** INTRA DOMINICANAE NATIONIS FINES
CONDITUR NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA, QUAE AD DIGNITATEM
ARCHIEPISCOPALEM ET METROPOLITANAM ATTOLLITUR

Sollicitam sane curam continenter adhibemus ut Domini salus quam amplissimam multitudinem attingat: qua de causa Nos aptare properamus ecclesiastica instituta ad eiusmodi proposita commodius assequenda. De consilio igitur Congregationis pro Episcopis, consentiente Venerabili Fratrem Fortunato Baldelli, Archiepiscopo titulo Mevaniensi atque in Republica Dominicana Apostolico Nuntio, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Sancti Iacobi Equitum Sedem a metropolitico iure Ecclesiae Sancti Dominici separamus eamque ad dignitatem archiepiscopalis metropolitanae Ecclesiae evehimus, privilegiis porro additis et obligationibus iniunctis quae sacri canones praecipunt.

Novam Provinciam ecclesiasticam constituunt dioeceses Vegensis, Maoensis-Montis Christi et Sancti Francisci de Macorís, quae usque adhuc ad Provinciam ecclesiasticam Sancti Dominici pertinuerunt. Sancti Iacobi Equitum Episcopum moderantem Sedem, in praesentiarum Venerabilem Fratrem Ioannem Antonium Flores Santana, dignitate Archiepiscopi et gradu Metropolitanae honestamus secundum sacrorum canonum praescripta.

Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Fortunatum Baldelli, quem antea memoravimus legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Episcopis diligenter mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obsistentibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quarto decimo mensis Februarii, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quarto, Pontificatus Nostri sexto decimo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

BERNARDINUS card. GANTIN
Congr. pro Episcopis Praef.

Franciscus Chiaurri, *Protonot. Apost.*
Antonius Macculi, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXXVI (1994), n. 7, pp. 548-549

© Copyright 1994 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana